

IX. Inde consequitur, ut vocabulum OBLIGATIO plures significatus admittat. Obligationis igitur stricte moralis nomine notamus practicam necessitatem dictamini rationis puræ conformiter agendi. *

* Eius discrimen a coactione physica, psychologica, obligatione late sumta.

X. In actione vere morali subiectum activæ et passivæ obligationis ultimato *in eadem persona* existunt, * quamvis materia et motiva obligationis per voluntatem Superioris primitus innotescant.

* Obligatio nimirum moralis tantum locum habet apud entia ratione prædita et sensualitate limitata: *ut rationalia active obligant, ut sensuality obligantur.*

XI. Obligationis fundamentum *formale, materiale, historicum* distinguimus. Nulla lex ultra suum fundamentum porrigi potest; inde illius veritatem, diversam extensionem, mutationem, cessationem intelligimus.

XII. Nulla quidem existit actio, quæ non *objective* per legem aliquam determinata esset: at qui exinde actiones hominum omnes
aut